



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

Ecclesiastes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

na. Nec enim Deus omnipotens, rerum cui summa potestas, cum summè bonus sit, vlllo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi vsque adeò esset omnipotens & bonus, vt beneficeret etiam de malo. Et infra: Melius iudicauit de malis benefacere, quàm mala nulla esse permittere. Cur autem hominem Deus non cuiusmodi condiderit vt peccare non posset, rationem reddit lib. 83. Quæstionum, q. 2. Quia secundum rationes æternas, quas in excitando hoc pulcherrimo opere spectauit, melior est homo, qui voluntate, quàm qui necessitate bonus est.

Plura fortassis obiiciat profana curiositas: sed in illius æternæ sapientiæ consiliis & infinitæ potentiæ operibus expendendis necesse est vt succumbat mortalis infirmitas. Quare quicumque sapiet, superuacua sciendi cupiditatem ratione moderabitur: neque diuinorum iudiciorum iniquus arbiter, neque diuinorum operum fastidiosus erit indagator: non ignarus, quemadmodum diuinorum iudiciorum multa occulta sunt, nulla iniusta, sic diuinorum operum multa esse nobis incomperta, nulla imperfecta. Nunc ad aliud genus vanitatis nos ducat Ecclesiastes, quod non minùs quàm ea quæ dicta sunt, curiosos diuinorū operū inspectores affligat.

S E C T I O Q V I N T A . E C C L E S I A S T E S .

^a LXX. Et adhuc vidi. Syriac. Et amplius vidi.

^b *Alia versiones habent, omnis voluntatis, omnis operis, omnis facti*

V E R S . 16. ^a Vidi sub Sole in loco iudicij impietatem, & in loco iustitiæ iniquitatem.

17. Et dixi in corde meo: Iustum & impium iudicabit Deus, & tempus^b omnis rei tunc erit.

M E T R I .